

## IN CENA DOMINI

1 - *Surgens Iesus a cena, ponit vestimenta sua; et cum accepisset linteum, praecinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat praecinctus*<sup>1</sup>.

### Exordium. De cena Domini cenae Abrahae comparata

2 - Simile quid Genesi XVIII: *Afferam, inquit Abraham, paucillum aquae, et laventur pedes vestri, et requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, et confortate cor vestrum*<sup>2</sup>. Quod Abraham fecit tribus angelis, hoc Christus fecit sanctis apostolis, veritatis nuntiis, sanctae Trinitatis fidem universo mundo praedicaturis: ante pedes eorum velut servus se inclinavit, et inclinatus eis pedes lavit. O incomprehensibilis humilitas! O ineffabilis benignitas! Qui ab angelis in caelo adoratur, coram piscatorum pedibus inclinatur; caput illud angelis tremendum submittitur ad pedes pauperum. Et ideo expavit Petrus, dicens: *Non lavabis mihi pedes in aeternum*<sup>3</sup>, “idest numquam”<sup>4</sup>. “Non potuit sustinere Deum ad pedes humiliari, pavore perterritus”<sup>5</sup>. Cui Dominus: *Si non laveris te, idest, si contempseris lavari a me, non habebis partem mecum*<sup>6</sup>. GLOSSA ibi: “Qui non est lavatus per baptismum vel confessionem poenitentiae, non habet partem cum Iesu”<sup>7</sup>.

“Postquam eorum pedes lavit”<sup>8</sup> sub se arbore requiescere fecit. *Sub umbra, inquit, illius quem desideraveram sedi, et fructus, idest corpus et sanguis, eius, quem eis hodie dedit, dulcis gutturi meo*<sup>9</sup>. Haec est buccella panis, quam coram eis posuit, qua eorum corda ad labores perferendos confortavit. *Cenantibus, inquit, eis, accepit Iesus panem; et benedixit ac fregit*<sup>10/a</sup>. “[Fregit.] Ut ostendat corporis sui fractionem non sine sua sponte fore”<sup>10/b</sup>. *Benedixit prius, quia naturam, quam assumpsit, cum Patre et Spiritu Sancto gratia divinae virtutis implevit*<sup>11</sup>. *Accipite, inquit, et comedite: hoc est corpus meum*<sup>12</sup>. “Sic intellige: *Benedixit, subaudi dicens: Hoc est corpus meum. Et tunc fregit et dedit et ait: Comedite, et iteravit: Hoc est corpus meum*”<sup>13</sup>.

### I - Sermo allegoricus

3 - Quid cena, vestimenta et linteum; quid aqua, pelvis et pedes discipulorum allegorice significant, videamus.

<sup>1</sup> Io 13,4-5 (Vg. ... *surgit a coena, et ponit vestimenta sua ... Deinde mittit...*; in GLO. ... *Deinde misit...*).

<sup>2</sup> Gen 18,4-5 (Vg. ... *et lavate pedes vestros...*; in GLO. ... *et laventur pedes vestri...*)

<sup>3</sup> Io 13,8

<sup>4</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>5</sup> GLO. ORD., Io 13,6

<sup>6</sup> Io 13,8

<sup>7</sup> GLO. ORD., ibidem. Cf. HIERONYMUS INCERTUS, *Expositio Evangeliorum*, PL 30,585: «Non lavabis pedes mihi in aeternum, pavore perterritus dicebat: si non laveris te, non habebis partem mecum, ostendit, qui non est lavatus per baptismum, et per confessionem poenitentiae, non habebit partem apud Dominum».

<sup>8</sup> Cf. Io 13,12

<sup>9</sup> Cant 2,3

<sup>10/a</sup> Mt 26,26

<sup>10/b</sup> ANSELMUS LAUDUNENSIS ET SCHOLA GLOSSA ORDINARIA, *Evangelium secundum Matthaem*, PL 114,169: «Fregit, ut ostendat corporis sui fractionem non sine sua sponte fore. Benedixit prius, quia naturam quam assumpsit cum Patre et Spiritu sancto, gratia divinae virtutis implevit».

<sup>11</sup> GLO. ORD., ibidem

<sup>12</sup> Mt 1,c.

<sup>13</sup> P. COMESTOR, *Historia scholastica*, in *Evangelia*, 152, PL 198,1618. Notiamo che, secondo Pietro Comestor, seguito alla lettera da sant'Antonio, Gesù Cristo avrebbe pronunciato due volte: *Hoc est corpus meum*, la prima per la consacrazione e la seconda solo ostentivamente o istruttivamente. Nella consacrazione del vino, appare la parola *confirmatur* (conferma della Nuova ed eterna Alleanza), parola che si incontra d'altronde in altri autori. Cf. BALDOVINO DI AMSTERDAM, *Historia Scholastica Petri Comestoris in Sermonibus Sti Antonii*, in «Collectanea Franciscana», 24 (1954), 98.

‘Cena, paterna gloria; vestimentorum depositio, maiestatis exinanitio’<sup>14</sup>; ‘lintheum, munda caro’<sup>15</sup>; ‘aqua, sanguinis effusio vel gratiae infusio’<sup>16</sup>; pelvis, corda discipulorum, ‘pedes, affectus eorum’<sup>17</sup>. *Surgit ergo a cena*, qua erat cum Deo Patre: *Homo*, inquit, *fecit cenam magnam et vocavit multos*<sup>18</sup>. Magna, quia divinae gloria maiestatis, divitiis angelicae beatitudinis, deliciis geminae glorificationis affluens et splendida. Ad quam multi vocantur et pauci veniunt, quia *stultorum numerus infinitus*<sup>19</sup>, qui cenam vitae dimittunt pro temporalium stercore. Porcus libentius dormit in luto quam in pulchro lecto. Christus surgit a suae felicitatis cena, ut istos faceret resurgere a sui stercore miseria.

*Ponit vestimenta sua*. “Nota quattuor depositiones vestium Christi. In cena deposuit eas et resumpsit; ad columnam nudatus est et reindutus; in illusionem militum, nudatus et reindutus, nam ab Herode non legitur nudatus; ad crucem nudatus nec reindutus. Prima pertinet ad apostolos, quos in brevi resumpsit. Secunda ad illos, qui resumpti sunt die Pentecostes et paulatim resumuntur. Tertia ad reliquos, qui resumentur in fine. Quarta ad perversam medietatem nostri temporis, quae numquam resumetur. Secunda et quarta repraesentantur hodie in quibusdam ecclesiis, cum altaria nudantur, nam et ramusculis quasi flagellis tonduntur et asperguntur aqua et vino”<sup>20</sup>. Vestimenta ponere est semetipsum exinanire; quae post lavationem suscepit, quia, peracta obedientia, ad Patrem unde venerat rediit.

‘Legitur in PASSIONE BEATI SEBASTIANI, quod quidam rex habebat anulum aureum, pretiosa gemma insignitum, valde sibi carum, qui de digito eius cecidit in cloacam, unde valde doluit. Qui, cum non inveniret aliquem, qui inde anulum posset extrahere, depositis regiae dignitatis vestibus, sacco indutus in cloacam descendit, anulum diu quaesivit, quaesitum tandem invenit, inventum secum gaudens ad palatium reportavit. Rex, Dei Filius; anulus, humanum genus; gemma in anulo, pretiosa anima in homine. Iste a gaudio paradisi, quasi de digito Dei, cecidit in cloacam inferni; super cuius amissione Dei Filius multum doluit. Qui, ut recuperaret anulum, in angelis et hominibus quaesivit, et non invenit, quia nullus sufficiens fuit; et tunc vestimenta deposuit, semetipsum exinanivit, saccum nostrae miseriae assumpsit, triginta tribus annis anulum quaesivit, tandem ad infernum descendit, et ibi Adam cum sua posteritate reperit, et repertum secum gaudens ad gaudia aeterna reportavit’<sup>21</sup>.

4 - Sequitur: *Et cum accepisset lintheum, praecinxit se*. De purissima enim carne Virginis lintheum nostrae humanitatis accepit. Super quo habes concordantiam Ezechiele X: *Dixit Dominus ad virum qui indutus erat lineis: Ingredere in medium rotarum, quae sunt subtus cherubim*<sup>22</sup>. Rota, quae ab eo puncto quo incipit in eundem revertitur, est humana natura, cui dictum est: ‘Terra es et in terram ibis’<sup>23</sup>. Medium dicitur respectu extremorum, idest principii et finis. Nota quod, humana natura habet tria: conceptionis immunditiam, peregrinationis miseriam, mortis incinerationem. ‘Vir indutus lineis est Iesus Christus, qui de beata Virgine vestem lineam accepit; et non in principium immundae conceptionis’<sup>24</sup>, quia opere Spiritus Sancti de purissima Virgine conceptus, nec in finem humanae

---

<sup>14</sup> Cf. GLO. INT., Io 13,4: «*Surgit*. Significat quod de caelestibus descendit, et quod seipsum exinanivit, et quod formam servi induit»; GLO. ORD., ibidem: «*Surgit a coena*: ab illa caelesti refectioe, qua cum angelis reficiebatur, deponit vestimenta, gloriam aeternae beatitudinis».

<sup>15</sup> GLO. INT., ibidem

<sup>16</sup> Cf. GLO. ORD., Io 13,5

<sup>17</sup> Cf. GLO. INT., Io 13,9

<sup>18</sup> Lc 14,16

<sup>19</sup> Eccl 1,15 (Vg. *mut add*)

<sup>20</sup> P. COMESTOR, *o.c.*, 150, PL 198,1616-1617

<sup>21</sup> Cf. *Acta s. Sebastiani martyris*, 13,4, PL 17,1132-1133. [Antonio riporta il racconto del re che vede l'anello nella cloaca, citando la Passione di S. Sebastiano - cf. Acta S. Sebastiani martyris, XIII,4, PL 17,1132-1133 - La citazione è a memoria, riadattata al contesto.](#)

<sup>22</sup> Ez 10,2 (Vg. *Et dixit ad virum... et ait: Ingredere in medio...*)

<sup>23</sup> Cf. Gen 3,19

<sup>24</sup> Cf. *Moralium* XXII,18,44, PL 76,239-240: «*Vir quoque unus in medio eorum vestitus lineis* [Ez 9,2], quia Redemptor noster, etiam de sacerdotali tribu iuxta carnem parentes habere dignatus est, vestitus lineis venire perhibetur. Vel certe quia linum de terra, non autem sicut lana de corruptibili carne nascitur, quia indumentum sui corpori ex matre virgine, non autem ex corruptione commistionis sumpsit, profecto ad nos vestitus lineis venit».

incinerationis, quia: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*<sup>25</sup>, sed in medium nostrae peregrinationis, pauper, exul et peregrinus, intravit<sup>26</sup>, qui vix in toto mundo locum habuit.

Unde secundo Esdrae II, dicit Nehemias: *Non erat locus iumento cui sedebam, ut transiret*<sup>27</sup>. “Nehemias, qui interpretatur consolatio Domini, est Christus, consolatio nostra”<sup>28</sup> in tempore desolationis. Unde Isaia XXV: *Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes a turbine, umbraculum ab aestu*<sup>29</sup>. In tribulatione mundanae adversitatis, in turbine diabolicae suggestionis, in aestu luxuria vel vanae gloriae, ipse consolatio nostra; ‘cuius iumentum, humanitas, cui sedebat divinitas. Istud iumentum, super quo imposuit vulneratum, idest genus humanum’<sup>30</sup>, in toto mundo non habuit locum, quia ‘non habuit ubi caput reclinaret’<sup>31</sup>, nisi ubi *inclinato capite tradidit spiritum*<sup>32</sup>. Intravit ergo *in medium rotarum, quae sunt subtus cherubim*, quia ‘minoratus est paulo minus ab angelis’<sup>33</sup>, cum linteum accepit, quo se praecinxit. In illa enim carne “humilitate”<sup>34</sup> *se praecinxit*, quia necesse fuit, ut tanta esset humilitas in Redemptore, quanta fuit superbia in proditore.

5 - Sequitur: *Deinde misit aquam in pelvim*. GLOSSA: “Sanguinem in terram fudit, ut vestigia credentium mundaret, quae terrenis peccatis erant sordidata”<sup>35</sup>. Nota quod, pelvis est vas concavum, tinnulum, et labium habet repansum. Tale erat cor apostolorum, et utinam tale sit nostrum: concavum humilitate, tinnulum devotione, habens labium repansum per sui accusationem. ‘Pelvis dicta, quod pedes laventur in ea’<sup>36</sup>. Misit Dominus aquam gratiae in die Pentecostes in cor apostolorum; mittit et quotidie in cor fidelium, ut eorum pedes, idest affectus, ab omni inquinamento laventur. Hoc est quod dicit Iob XXIX: *Lavabam pedes meos butyro*<sup>37</sup>, in cuius pinguedine animi devotio signatur, qua Iob, “idest dolens”<sup>38</sup> de peccatis, lavat affectus suae mentis.

*Et extersit linteo quo erat praecinctus*, “quia tota dominici corporis afflictio et passio nostra est purgatio”<sup>39</sup>. Isto linteo debemus extergere sudorem nostri laboris, sanguinem nostrae passionis, ipsius patientiae exemplum sumentes in omni tribulatione nostra, ut cum ipso gaudeamus in gloria sua. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

## II - Sermo allegoricus

6 - *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiae, pinguium medullatorum, vindemiae defecatae*<sup>40</sup>. Haec auctoritas Isaia XXV. De quo convivio dicit Matthaeus XXVI: *Cenantibus, inquit, eis, accepit Iesus panem; et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: “Bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus novi testamenti*<sup>41</sup>,

---

<sup>25</sup> Ps 15,10 (Vg. *Nec dabis...*)

<sup>26</sup> Hoc verbum «intravit» regit totam praecedentem sententiam: «et non in principium..., nec in finem..., sed in medium... intravit».

<sup>27</sup> 2Esd 2,14

<sup>28</sup> GLO. ORD., 2Esd 1,1

<sup>29</sup> Is 25,4

<sup>30</sup> Cf. GLO. ORD., Lc 10,30: «Iumentum, caro ipsius est, in qua ad nos venit, in quam saucium imponit, quia peccata nostra portavit in corpore suo».

<sup>31</sup> Cf. Mt 8,20; Lc 9,58

<sup>32</sup> Io 19,30

<sup>33</sup> Cf. Hebr 2,7; Ps 8,6

<sup>34</sup> GLO. INT., Io 13,4

<sup>35</sup> GLO. ORD., Io 13,5. Editio Glossae: «... erant sordida».

<sup>36</sup> Cf. ISID., *Etym.* XX,6,8, PL 82,717: «Pelves vocatae, quod pedes ibi laventur»; VARRO, *De lingua latina*, IV: «Pelvis a pedum lavatione, ut pedelvis». Secondo B. COSTA e H. PINTO REMA, [Antonio avrebbe utilizzato Isidoro e Papias, ma il lemma \*pelvis\* non figura in PAPIAS VOCABULISTA](#).

<sup>37</sup> Iob 29,6

<sup>38</sup> GLO. ORD., Iob 1,1

<sup>39</sup> GLO. INT., Io 13,5

<sup>40</sup> Is 25,6

<sup>41</sup> Mt 26,26-28 (Vg. *Coenantibus autem... Hic est enim...*)

subaudi, confirmatio”<sup>42</sup>. Nota quod, Christus hodie quattuor fecit: apostolorum pedes lavit, eis corpus et sanguinem suum tradidit, sermonem pretiosum et longum fecit, pro eis et pro omnibus in se credentibus ad Patrem oravit. Ecce convivium pingue.

Ipse ergo, *Dominus exercituum*, “idest angelorum”<sup>43</sup>. De quibus in hac nocte dixit Petro: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum?*<sup>44</sup> Quasi diceret: “Non indigeo auxilio duodecim apostolorum, qui possum habere duodecim legiones angelorum, in quibus sunt septuaginta duo millia”<sup>45</sup>.

*In monte hoc*, ‘idest Ierusalem’<sup>46</sup>, ‘in cenaculo illo grandi, strato’<sup>47</sup>, in quo et apostoli die Pentecostes susceperunt Spiritum Sanctum, *fecit hodie omnibus populis*, in se credentibus, *convivium pinguium*. Vere convivium hodiernum convivium pinguium, quia ibi vitulus saginatus, quem Pater occidit in reconciliatione humani generis. Unde, Luca XV: *Adducite, inquit, vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur; quia hic filius meus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est. Et coeperunt omnes epulari*<sup>48</sup>. GLOSSA: “Praedicate natum Christum et mortem eius insinuate, ut et corde credat occisum imitando, et ore percipiat Passionis sacramentum ad emundationem”<sup>49</sup>.

Quod hodie universalis facit Ecclesia, cui in monte Sion hodierna die constituit convivium pingue et medullatum, idest duplici pinguedine, interiori et exteriori, refertum, verum suum corpus, omni spirituali virtute et caritate intus et exterius saginatum, eis dedit et dandum in se credentibus instituit. Unde ‘firmiter credendum et ore confitendum, quod illud corpus, quod Virgo peperit, in cruce pependit, in sepulcro iacuit, tertia die resurrexit, ad dexteram Patris in caelum ascendit, illud vere hodie apostolis tradidit, illud vere quotidie Ecclesia conficit et suis fidelibus tribuit’<sup>50</sup>. ‘Accedente enim verbo: *Hoc est corpus meum*, panis transubstantiatur in corpus Christi’<sup>51</sup>, quod digne se suscipienti duplicis pinguedinis confert unctionem, quia et tentationes mitigat et devotionem excitat. Et ideo dicitur ‘terra melle et lacte manans’<sup>52</sup>, quia indulcat amara, et nutrit devotionem.

Infelix ille, qui ad hoc convivium ‘sine veste nuptialis caritatis’<sup>53</sup>, vel poenitentiae, intraverit, quia, ‘qui indigne sumit, damnationem sibi sumit’<sup>54</sup>. ‘Quae conventio luci ad tenebras?’<sup>55</sup> Iudae proditori ad Salvatorem? *Manus*, inquit, *tradentis me mecum est in mensa*<sup>56</sup>. *Bestia*, idest bestialis homo, *si tetigerit montem*, idest corpus Christi, *lapidabitur*<sup>57</sup>, idest damnabitur.

7 - Sequitur: *Convivium vindemiae defaecatae*, ‘idest ab omni sorde et faece purae vel purgatae’<sup>58</sup>. Hoc est quod dicit Moyses in Cantico: *Et sanguinem uvae biberent meracissimum*<sup>59</sup>.

---

<sup>42</sup> P. COMESTOR; *Historia scholastica*, in *Evangelia*, 152, PL 198,1618: “Dicendo: *Accipite et comedite; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, sottolinea che il dono è fatto ai discepoli; dicendo: *Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus novi testamenti, devi sottintende che conferma dono è fatto ai discepoli e anche a molti. Per l’espressione “subaudi, confirmatio”, vedi commento, in III,174,5*

<sup>43</sup> GLO. ORD., 3Reg 22,19

<sup>44</sup> Mt 26,53

<sup>45</sup> GLO. ORD., ibidem

<sup>46</sup> Cf. GLO. INT., Is 25,6: «Sion». «In monte, “Sion”».

<sup>47</sup> Cf. Mc 14,15

<sup>48</sup> Lc 15,23-24 (Vg. ... *Et coeperunt epulari*)

<sup>49</sup> GLO. ORD., Lc 15,23

<sup>50</sup> Cf. CONCILIUM ROMANUM VI (a. 1079), *Iusiurandum Berengarii Turonensis presbyteri* (MANSI, *Sacrorum conciliorum collectio*, XX,524, D; MIGNE, PL 148,817.

<sup>51</sup> P. COMESTOR, *o.c.*, ibidem: «Et nota quia in canone cum proferuntur verba: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, ex virtute horum verborum fit transsubstantiatio, unde credibile est cum Dominus eadem verba dixit, mutasse panem et vinum in carnem et sanguinem, et tunc eandem vim contulit Dominus verbis illis in posterum».

<sup>52</sup> Cf. Deut 31,20

<sup>53</sup> Cf. Mt 22,11 et GLO. INT., ibi

<sup>54</sup> Cf. 1Cor 11,29 et GLO. INT., ibi

<sup>55</sup> Cf. 2Cor 6,14-15

<sup>56</sup> Lc 22,21

<sup>57</sup> Hebr 12,20 (Vg. *Si bestia...*); cf. Ex 19,12-13

<sup>58</sup> Cf. GLO. INT., Is 25,6: «*Vindemiae defaecatae*, “Purissimae, sine fece”».

<sup>59</sup> Deut 32,14

Uva, Christi humanitas, quae, in torculari crucis pressa, sanguinem undique emisit, quem hodie potandum apostolis dedit: ‘Hic est, inquit, sanguis meus, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum’<sup>60</sup>. Oportuit ergo vinum defaecatum sanguinem esse meracissimum, qui in remissionem peccatorum tantorum funderetur.

O caritas Dilecti! O amor Sponsi circa Sponsam suam Ecclesiam! Sanguinem proprium, quem in crastinum pro ipsa debebat fundere manibus infidelium, ei hodie obtulit suis manibus sanctissimis. Et ideo ipsa dicit in Cantico I: *Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*<sup>61</sup>. Intrat sponsa Ecclesia, vel anima, in silvam omnium afflictionum et passionum sui sponsi, et modo ibi opprobria, modo hic alapas et sputa, modo illic derisiones et flagella, modo ibi et ibi crucem, clavos et lanceam humilis colligit in unum, et vinculo amoris connectit, et fasciculum myrrhae, doloris et amaritudinis sibi facit, et inter ubera ubi cor, in quo amor, ponit. Dilectus ergo, qui in crastinum erit sponsae suae fasciculus myrrhae, hodie est ei botrus cypri. *Calix, inquit, meus inebrians, ecce botrus cypri, quam praeclarus est!*<sup>62</sup> ecce vinea defaecata et sanguis uvae meracissimus.

Et ubi invenitur? et unde elicitur? *In vineis, inquit Engaddi, “qui interpretatur fons haedi”*<sup>63</sup>, qui foetet. Vineae Engaddi, vulnera nostri Dilecti, in quibus fons vivus, aqua purificans omnem foetorem et sordes abluens. In hoc fonte latro crimina sua lavit, dum confessus fuit: *Memento, inquit, mei, cum veneris in regnum tuum*<sup>64</sup>. De hoc fonte Zacharia XIII: *In die illa, scilicet crastina, erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris et menstruae*<sup>65</sup>. Ecce, fons patet, omnibus se communicat. Venite ergo et haurite, et maculas abluite occultas et manifestas, quae in menstruo designantur.

8 - *Ecce noster Dilectus, cypri botrus, myrrhae fasciculus, celebrato illo pingui et defaecato convivio, ‘et hymno dicto, in montem Olivarum cum discipulis exit’*<sup>66</sup>; totam istam noctem insomnem ducit, sollicitus peragere negotium nostrae salutis, ab apostolis discedit, ‘tristari usque ad mortem coepit, genua ad Patrem flectit, si fieri potest, ut ab eo hora transeat petit, voluntatem suam voluntati paternae supponit’<sup>67</sup>; ‘factus in agonia sudorem sanguineum emittit’<sup>68</sup>. ‘Post haec a discipulo osculo traditur, ligatur, et velut latro ducitur’<sup>69</sup>; ‘facies eius velatur, conspuitur’<sup>70</sup>, ‘barba depilatur, arundine capite percutitur, colaphis caeditur’<sup>71</sup>; ‘ad columnam flagellatur, spinis coronatur, morti adiudicatur, eius humeris lignum crucis imponitur, in Calvariam egreditur’<sup>72</sup>, ‘vestimentis spoliatur, nudus inter latrones crucifigitur, felle et aceto potatur, a transeuntibus blasphematur’<sup>73</sup>. Et quid plura? Vita pro mortuis moritur. O nostri Dilecti oculi in morte clausi! O facies, ‘in quam desiderant angeli prospicere’<sup>74/a</sup>, in pallorem versa! O labia, favus distillans verba vitae aeternae, fiunt livida! O caput, angelis tremendum, pendet inclinatum! Illae manus, ad quarum tactum lepra recessit, vita rediit, lux perdita restituta fuit, daemonium fugit, panis crevit; illae, inquam, manus, heu! clavis perforantur, sanguine cruentantur!<sup>74/b</sup>

---

<sup>60</sup> Cf. Mt 26,28

<sup>61</sup> Cant 1,12-13

<sup>62</sup> Ps 22,5

<sup>63</sup> GLO. ORD., Cant 1,13

<sup>64</sup> Lc 23,42

<sup>65</sup> Zach 13,1

<sup>66</sup> Cf. Mt 26,38-39

<sup>67</sup> Cf. M 26,38-39

<sup>68</sup> Cf. Lc 22,44

<sup>69</sup> Cf. Mt 26,47.50.55; Lc 22,47-48.52

<sup>70</sup> Cf. Lc 2,63-64; Mc 14,65

<sup>71</sup> Cf. Mc 15,17-19

<sup>72</sup> Cf. Io 19,1-2.17

<sup>73</sup> Mt 27,34-39; Mc 15,23.27-30; Lc 23,33-36

<sup>74/a</sup> Cf. 1Pt 1,12

<sup>74/b</sup> A proposito di questa descrizione precisa e meravigliosa della Passione, ALFONSO POMPEI (*I «Sermones e la Teologia Francescana*, in «Atti 1981», p. 777) nota: «La Scuola francescana ha visto la morte di Cristo in croce come l’espressione suprema del suo amore infinito per gli uomini. E a S. Antonio compete l’onore di essere stato il primo francescano a possedere una simile visione della Passione». I Sermoni ci fanno pensare al posto preminente che il Crocifisso ha tenuto nella vita di Francesco, stigmatizzato e imitatore di Cristo.

Colligamus haec omnia, fratres carissimi, et faciamus fasciculum myrrhae, et inter ubera nostra ponamus, idest in corde portemus, et maxime in nocte ista et die crastina, ut cum ipso in die tertia resurgere mereamur. Ipso praestante, qui est benedictus in saecula. Amen.

### III - Sermo anagogicus

9 - *Faciet Dominus exercituum* etc. Quid ista quinque: mons, convivium, pinguedo, medulla et vinea defaecata anagogice significant, videamus. Mons est illa caelestis patria, unde Isaia XXX: *Canticum erit vobis sicut vox sanctificatae solemnitatis, et laetitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad Fortem Israel*<sup>75</sup>. Nota ista tria: canticum, laetitia et tibia. 'In cantico, laus vocalis'<sup>76</sup>, quae, ut dicit CASSIODORUS<sup>77</sup>, erit in patria: *In saecula saeculorum*, inquit, *laudabunt te*<sup>78</sup>. 'In laetitia, cordis iubilus'<sup>79</sup>. In tibia, consonantiae melodia carnis et spiritus, quam in generali resurrectione habebimus perfecte, et cum ipsa in montem caelestis patriae cantantes et laetantes intrabimus, ad fortem Iesum Christum, qui liberavit de manu potentis Israel, idest fideles suos, quibus in hoc monte caelesti praeeparavit convivium.

De quo Luca XXII: *Dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno caelorum*<sup>80</sup>. "Mensa, quae omnibus sanctis est ad fruendum proposita, caelestis vitae est gloria"<sup>81</sup>, in qua erunt tria convivia: pinguedinis, medullae et vineae defaecatae, in quibus triplex gaudium beatorum designatur. In convivio pingui notatur illud gaudium, quod habebunt de totius Trinitatis visione; in convivio medullato notatur illud, quod habebunt de propria beatitudine et claritate interioris conscientiae. Pro his duobus orabat David: *Sicut adipe et pinguedine*, idest illo duplici gaudio, *repleatur anima mea, et tunc labiis exultationis laudabit os meum*<sup>82</sup>. In vindemia defaecata, gaudium totius triumphantis Ecclesiae, quae vere tunc erit defaecata, quia 'mortale hoc induet immortalitatem et corruptibile hoc incorruptionem'<sup>83</sup>. Quam nobis praestare dignetur, qui est benedictus in saecula. Amen.

---

<sup>75</sup> Is 30,29 (Vg. ... nox...; in Glo. ... vox..., cum variant lectione: nox)

<sup>76</sup> Cf. CASSIODORUS, *In Psalterium praefatio*, 6, PL 70,16: «Canticum est quod ad honorem Dei canitur, quando quis libertate vocis propriae utitur nec loquaci instrumento cuiquam musico consona modulatione sociatur, hoc est quod etiam nunc Divinitatis laudibus agitur».

<sup>77</sup> Cf. GLO. ORD., Is l.c.: «Sic in die iudicii, transito mundo et damnato diabolo et membris suis, sancti cum laetitia exultabunt in Dei laudibus».

<sup>78</sup> Ps 83,5

<sup>79</sup> Cf. CASSIODORUS, *Expositio in Psalterium*, Ps 31,16, PL 70,224: «*Laetari* est enim tacitae mentis suavitate mulceri».

<sup>80</sup> Lc 22,29-30 (Vg. ... in regno meo)

<sup>81</sup> GLO. INT., Lc 22,30

<sup>82</sup> Ps 62,6

<sup>83</sup> 1Cor 15,53